

Petrus de Vinea

*Ep. IV 10 (Tetigit me Domini
manus, et apprehendit...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. IV 10 (Tetigit me Domini
manus, et apprehendit...)*

ante 1249

Mater significat mortem filii sui magistro Petro, et recommendat alios filios suos sibi.

1. Tetigit me Domini manus, et apprehendit me indignatio irae suae, ut quae fueram uiri solacio destituta, prematura mors filii uiduam iterum uiduaret. Ideoque duplici contritione contrita, singulare quero in uobis dolori meo remedium, discretioni uestrae me fiducialiter recommendans. 2. Ad haec sciatis, quod N. futurus gener uester, qui per Dei gratiam restitutus est plenariae sanitati, ita quod, innaturali pallore ab eius facie recedente, incepit finaliter sibi fieri sanus color. 3. Preterea, quia credo uos paterna prouisione prosequuturos negotia domus nostrae, non porrigo uobis preces super aliquo speciali, sed ut generaliter quid expediat prouidentes, filios meos et filias habeatis recommendatos in omnibus sicut pater.